



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

Prætermissi Et In Alios Dies Rejecti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

VI JANUARIIL.

SANCTI QUI VIII ID. JAN. COLUNTUR.

EPIPHANIA DOMINI.

S. Melchior, Rex Magus, in Oriente.

S. Telesphorus,

S. Florus,

S. Jocundus,

S. Petrus,

S. Marcus,

S. Acutius,

S. Januaria,

S. Honorius,

S. Julius,

S. Antoninus,

S. Pompeianus, Martyr, Calari in Sardinia.

Martyres in Africa.

Martyres.

S. Anastasius, Martyr, Sirmii in Pannonia.

S. Macra, Virgo et Martyr, in territorio Remensi.

S. Nilammon, Reclusus, Geris in Ægypto.

S. Melanius, Episcopus Rhedonensis in Gallia.

S. Petrus, Abbas Cantuariensis in Anglia.

S. Erminoldus, Abbas Prufeningensis, in Germania.

B. Guarinus, Episcopus Sedunensis, in Helvetia.

Gertrudis ab Oosten, Beghina, Delphis in Hollandia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Gregorius Martyr apud Lingones, refertur a Carthusianis Coloniens. in Addit. ad Usuardum. Quis hic sit me fugit; nisi fortassis S. Gregorius Episcopus et Confessor, Martyr hic perperam appelletur. Refertur certe hoc die in ms. Florario. De eo egimus
iv Januar.

S. Æmiliana Virgo Romæ. ms. Kalend. SS. Ord. S. Benedicti. Nos
v Januar.

S. Anastasia, in Syria. Nothkerus. Nullam reperio Anastasiam in Syria celebratam. Suspicio Anastasium Martyrem esse, de quo agemus
ix Januar. vel Anastasiam, in Africa passam, de qua v Januar.

S. Arnual refertur hoc die a Davide Camerario Scoto, appellaturque Episcopus Santonum. Sed nullus inter Santonenses Præsules Arnual recensetur apud Cl. Robertum Joannem Chenu. Ant. Democharem. Sigebertus a Camerario citatus ad annum Christi dccciv solum habet, Arnual Kiliani Wirzburgensis discipulum in Gallia floruisse, neque significat Episcopum fuisse. Trithemius Abbatem appellat.

Viri venerabilis Joannis, Presbyteri et Eremitæ in eremo Rossomani in Sicilia obitus hoc die consignatur ab Octavio Cajetano Nostro. Non arbitrator ullo publico cultu celebrem.

Guilielmus Episcopus in Catesia Scotiae provincia refertur a Ferrario ex nescio quo Martyrologio Ne Camerario quidem ipsi notus in Catalogo Sanctorum Scotiae.

Adelbertus ex Comite Schoenbergensi monachi Breitenaviensis natalem refert Hugo Menardus, eumque Sancti titulo ornat. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad an. mcccxxii, etiam miraculis divinitus illustratum scribit; sed Sanctum non appellat, etsi alias haud parcus in hoc tribuendo honore hominibus vitæ innocencia claris. Fuit Breitenaw celebre monasterium in Hassia, fere ad Werre ac Fuldæ fluviorum confluentes.

Joannes Birellus, xxiv Generalis Ordinis Carthusiani, vita et miraculis conspicuus memoratur in editione Usuardi anno mxxxii, per Carthusianos Colonienses adornata. Beatus appellatur a Claudio Roberto. Negant PP. Carthusiani ullam ei publicam impendi venerationem. Andreas Saussayus (qui xxii Ordinis Generalem facit) ait miraculis clarum etiam post mortem extitisse.

Jacobus monachus in valle S. Lamberti juxta Leodium, refertur in Sacario SS. patriæ Leodien. atque in Menologio Cisterciensi Chrysostomi Henriquez, et utrobique Beatus appellatur.

S. Kanutus Dux et Martyr. Ferrar. Deoagemo vii Jan. S. Raimundus in Generalis Ordinis Prædicatorum. Molan. Martyrol. Germanicum, Joan. Marietta, Ferrar. Galesinius in Notis. Propter festum Epiphaniæ, Clementis VIII decreto rejicitur in vii Januar.

S. Julianus } Martyres. Martyrol. S. Hieronymi,
S. Basilissa } multa sub Bedæ nomine mss. et videntur hoc die passi: coluntur ix Januar.

S. Celsus } Martyres. Martyrol. Germanicum,
S. Julianus } multa Bedæ mss. Carthusiani Coloniens. in Addit. ad Usuard. ms. S. Hieronymi, et addit: In India. Idem est Julianus, qui jam relatus. De utroque agemus
ix Januar.

S. Marcionilla, } Martyres. Multa sub Bedæ nomine
S. Antonius, } mss. Nos
S. Anastasius }
ix Januar.

S. Basilissa Virgo et Martyr Parentii in Istria colitur hoc die ritu duplici, ut testatur Ferrarius in Catalogo SS. Italiae. Sed un eadem sit quæ ix Januarii celebratur, an alia, negat sibi constare.

S. Balthasar Rex. ms. Florar. Nos
xi Januar.

S. Marcelli Papæ ac Martyris Exceptionem celebrari hoc die a Chuniacensibus, testatur Molanus in Natalib. SS. Belgii. De ea agemus
xxvi Januar.

S. Petrus Thomas, Patriarcha Constantinopolitanus, Ordinis Carmelitarum. Molanus et Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuard. Octavius Cajetanus Noster, Martyrol. Germanic. et Gallic. ms. Florar. Galesinius in Notis, Ferrarius, aliique. Colunt eum Carmelita
xxx Januar.

S. Andreas Corsinus, Episcopus Fesulanus. Martyrol. Romanum, et Germanic. Molanus et Carthusiani Coloniens. in Addit. ad Usuard. ms. Florar. Galesin. Carmelita eum colunt
xxx Januar.

B. Didacus Episcopus Oxomensis refertur hoc die in Kalendar. Cisterciens. Vita extat in Marietta, Vincentio Bellovac. Historia Ibigensium Petri monachi, etc. Rejicimus eum cum Menologio Cisterciens. in
vi Februar.

S. Artemius Episcopus Senonensis. ms. Florar. SS. Festum illius agitur, teste Claudio Roberto,
xxiii April.

S. Maurontis Abbatis fit hodie Duaci in Flandria commemoratio, ob servatam ejus ope urbem contra hostiles insidias anno mdlvii. De eo pluribus agemus
v Maii

SS. Sulcanus et socii Martyres, memorantur a Carthus. Coloniens. in Addit. ad Usuard. ms. Florario,
et

et Maurolyco qui Sultanum vocat. Fortassis Solochanus est, de quo.
 S. Gurvallis Episcopus Macloviensis, hoc die mortuus memoratur a Joanne Chenu, Claudio Roberto, Augustino Pazio, Andrea Saussayo. Festum agitur Macloviopoli
 S. Edilwaldus Presbyter in insula sacra, sive Lindisfarne, hoc die refertur ab Hugone Menardo; a Martyrologio Gallicano, et Ferrario

S. Germani Episcopi Autisiodorensis Translatio hoc die adnotatur a Maurolyco, Galesinio, Ferrario, Martyrol. Gallicano et Germanico, ac plurimis mss. De ea agemus ad illius vitam
 S. Donatiani Remensis Episcopi, civitatis Brugensis in Flandria Patroni, secunda Translatio hoc die facta memoratur, adnotaturque hic in ms. Florario, et Martyrologio Gallicano. Plenius de ea agemus

EX VARIIS.

DE EPIPHANIA DOMINI.

AN. CHRIS. I.
VI JANUARI.

Hujus diei antiqua celebritas:

triplex mysterium.

Corpora 3 Regum Coloniensem translatam.

Celeberrima semper in Ecclesia Catholica fuit Epiphaniae festivitas, ut quae vocationis gentium primordia, gratissima memoria nobis perpetuo recordanda, proponat. Plurimae extant ab sanctis Patribus habitae hoc die Homiliae, quas recenset Galesinius in suis ad Martyrologium Notis. Multa de hujus diei mysterio, atque ipsis Magis, sacrae Scripturae Interpretes commentantur, quae hic consulto praeterimus, alio fortassis Opere ea postmodum prosecuturi. Nec ipsa quidem Martyrologia proferre visum est operae pretium, quae cuncta, etiam antiquissimum S. Hieronymi, Epiphaniam Domini concelebrant. Disertius plerisque Molanus in Addit. ad Usuardum: Epiphania Domini, qua manifestari coepit magibus, cum eum Magi adoraverunt, Melchior, Baltasar et Gaspar. Simul hoc die Ecclesia gratam memoriam celebrat Baptismi ejus sacri, et primi omnium miraculorum Christi, ac sub illo ceterorum, quibus celebriter manifestata fuit ipsius divinitas. Pluribus etiam B. Notkerus, Franciscus Maurolycus, Petrus Galesinius: ac congerit hic in Notis multa de Magis totaque hac solemnitate, illudque inter cetera, Mediolani, ritu Ambrosiano, ut die natali Domini, maximo populi conventu officium matutinum nocte celebrari, accensis more Graeco plurimis luminibus.

2 Sanctorum trium Magorum sacra corpora, ut idem scribit Galesinius, Constantinopolim e Persia jam pridem translata, et in Basilica S. Sophiae angustissimo apparatu collocata: inde ab Eustorgio I, Episcopo Mediolanum delata, ibique sexcentis et septuaginta annis in basilica Eustorgiana religiose asservata; demum Frederico Aenobardo Imperatore Coloniam ab Reinoldo Archiepiscopo asportata, reconduntur. De hac Translatione pluribus agemus xxiii Julii de S. Eustorgio xviii Septembris. Ex cuius, a S. Ambrosio laudati, aetate constare potest, hic mendum in Galesinii calculo

esse; cum ab Eustorgio seniore usque ad Fredericum I, Imperatorem, cujus anno xii, Christi mclxiii ea Translatio contigit, plures quam octingenti anni intercesserint. Sed Eustorgio secundo videtur tribuere, de quo vi Junii.

3 Graeci moderni solum Christi Baptismum celebrant hoc die Theophaniorum, ut vocant; at xxv Decembris, una cum Christi nativitate, Adorationem Magorum. Egyptii vero, ut hic in Notis ad Martyrologium habet Baronius, uno eodemque die Christi natalem et Baptismum agunt. Nam, ut Collatione 10, cap. 2, scribit Cassianus provinciae illius Sacerdotes diem Epiphaniarum vel Dominici baptismi, vel secundum carnem nativitatis esse definiunt; et ideo utriusque sacramenti solemnitate non bifarie, ut in Occiduis provinciis, sed sub una diei hujus festivitate concelebrant. S. Epiphanius in Panario haeresi 31, natum scribit Christum hoc die vii Id. Januarii; baptismum vi Id. Novembris. Utrumque alii Patres atque Interpretes refellunt.

4 Celeberrimam, inquit Baronius, semper fuisse Christianis ejusmodi solemnitate, declarat Caesarum praesentia; adeo ut ne impii quidem Principes ab ea celebritate abessent. Siquidem Julianus Apostata, qui pallio Christianae simulatae religionis latentem impietatem studebat contegere, cum esset in Galliis, voluit ea die cum ceteris Christianis sacris interesse mysteriis, ut scribit Ammianus Marcellin. lib. 21. Id ipsum praestitit Valens Imperator Arianus, ut de eo scribit S. Gregorius Nazianz. Orat. in laudem Basili. Visus enim fuisset a Christiana fide prorsus extorris, qui tantis solemnibus non adesset. Theodosius Imperator sic hujus diei celebritatem coli jussit, ut septem diebus qui praecedunt, ac totidem qui subsequuntur, judicalem strepitum conticescere jusserit, ut L. 2 C. de Feriis.

Nativitas ubi hoc die.

Epiphaniae sollemnis veneratio.

DE S. MELCHIORE REGE.

VI JANUARI.

Singulos sanctos Reges Magos peculiari aliqua religione variis diebus, in quibusdam Ecclesiis celebrari, diximus i Januarii, cum de S. Gaspare. S. Melchior vi Januarii colitur, ut ex Martyrologio Coloniensi et Germanico patet; quae Episcopum fuisse, divinoque sacrificio prius celebrato, sancte in Domino obdormisse

tradunt. Alii existimant tres illos Heroes martyrio coronatos: et Dextri quidem Chronicon passos habet an. Christi lxx. Sessaniae in Arabia felice ms. Florarium i Januarii obiisse S. Melchiorum refert, anno aetatis cxvi. De eo rursus xxiii Julii.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS

TELESPHORO, FLORO, JOCUNDO, PETRO, MARCO, ACUTIO, JANUARIA.

VI JANUARI.

De his antiquissimum S. Hieronymi ms. Martyrologium vi Januarii: In Africa Telesphori, Flori, Jocundi, Petri, Marci, Acuti, Januariarum. Quidam his cognomines v Januarii habentur

in eodem Martyrologio, et forte iidem, ut supra monuimus. ms. Rhimoviense perantiquum: In Africa Telesphori, Acuti, Januariarum. Notkerus: In Africa Flori, Jocundi, Petri, Marci, Acuti, Januariarum. Carthusiani